Quelle: https://manuscripta.at/?ID=916
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

gallicano occurrit helena
cum filia sua constantia,
et filiabus ipsius gallicani.
Fundebantur lacrime gau
dijs plene, nec permittitur
ad domum redire propriam galli
canus. Sed quasi gener au
gustorum in palatio suscipitur
considerans filias suas in
laudibus dei flentes. Cum uel
let privatus abscedere rogatus
ab augustis consul proces
sit. et in fascibus positus.
quinque milia suorum liberos
ciues que romanos fecit,
quibus predia domosque
donauit cunctasque facul
tates suas, excepto distra
hi ac donari pauperibus ius
sit. ac se in ostiensi urbe
manenti cuidam sancto uiro hy
lario nomine sociauit. Cuius
habitaculum ampliari fecit.
ad peregrinorum susceptionem
quam ipse plurimis impen
debat. Huic adheserunt
multi ex suis eius quos
liberos fecerat. et diuulgata
est fama eius per totum
orbem. ita ut ab oriente et
occidente uenientes uide
rent uirum ex patricio et
consule qui erat amicis
simus augustorum. lauan
tem pedes. ponentem men
sam. aquam manibus
effundentem. languentibus
sollicite ministrantem, et
cetera exhibentem sancte ser
uitutis officia. Hic primus
in ostiensi urbe instruxit
ecclesiam et dicauit officia
clericorum. Huic se sanctus
leuita laurentius reuela
uit ad hortandum eum. ut in eius
nomine fabricaret ecclesiam.
in porta. que nunc usque
laurentiana nuncupatur.
Rogatus autem ut ibi leuare
tur episcopus non consensit. sed
ex sua uoluntate ipse qui
ordinaretur elegit. Tan
tamque ei gratiam contulit
deus. ut demoniis pleni
mox ut uisi fuissent ocu
lis eius protinus mundarentur.